

costes, Assumptionis Mariæ Virginis (quibus Martinus V (2) festum Corporis Christi, ejusque octavam addidit)—et pro Hispania, festum *Conceptionis* ejusd. B. M. V. à Leone X additum esse creditur à Selvag. Adnot.—solemniter divina officia celebrantur, exclusis excommunicatis, et admissis interdictis, modo ii, qui sua culpa causam interdicto dederunt, ad altare non appropinquant (3).

(1) Cap. 57 de Sentent. excommunic.

(2) Martinus V. Const. Ineffabile 23 p. 471 t. 5 part. 2 Bullar Roman.

(3) Cap. 24 de Senten. excommunic. in 6. Clemens autem VIII. Const. Sacrae, apud Giraldum Exposit. Jur. Pontific. par. 1 l. 5 tit. 38 sect. 911 p. 745, Fratribus Minoribus S. Francisci etiam diebus festis Ss. Francisci, Bonaventuræ, Antonii Patavini, Ludovici, Bernardini, Clara, Elisabeth, ac Martyrum ejusdem Ordinis, Didaci, et Portiunculæ Missam solemniter celebrare permisit.

6. Interdictum non nisi ob gravem culpam est ferendum (1), neque comprehendit Episcopos, aliosque superiores Prælatos, quamquam generale sit, nisi expressa eorum mentio facta fuerit (1). Emissum autem ab Episcopo interdictum etiam à Regularibus observandum est (3).

(1) Confer Benedictum XIV. de Synod. Diocæs. 1. 10 c. 1 n. 5.

(2) Cap. 2 de Sentent. excommunicat. in 6.

(3) Concilium Tridentinum sess. 25 c. 12 de Regul.

7. Violantes interdictum gravis criminis rei sunt, quoniam Ecclesiæ auctoritatem contemnunt. Clerici, qui scienter in loco interdicto divina officia celebraverint, irregulares fiunt, eaque irregularitas tantum à Summo Pontifice tolli potest (1). Item qui interdictos in loco sacro sepeliunt, excommunicationem contrahunt, cujus absolutio Episcopo reservata est (2). Excommunicantur quoque Regulares, etiam exempti, qui generale, aut locale interdictum à Summo Pontifice vel ab Episcopo inflictum non servaverint (1).

(1) Cap. 18 §. 1 de Sentent. excommun. in 6, quæ decretalis tametsi loquitur de sola celebratione, quæ ad celebrationem Missæ referenda videtur, tamen Interpretum sententia ad omnia divina officia producit.

(2) Clement. 1 de Sepultur.

(3) Clem. 1 de Senten. excom.

8. Locale interdictum *cessatio à divinis* interdum appellatur (1); quoniam divina cessant in locis interdictis. Sed proprie

cessatio à divinis sine iudicis decreto ipso jure inducitur, ac per eam prohibentur clerici divina officia peragere, ac sacramenta administrare in aliqua peculiari ecclesia, quæ homicidio, aut adulterio, aut alio crimine polluitur (2); ut salutaris populo terror, et criminis horror incutiatur. Non est tamen censura, cum non sit poena, quæ ad emendationem irrogetur, sed potius gravis ab Ecclesia concepti doloris indicium est. Itaque ejus violatio gravis quidem culpa est, haud tamen irregularitatem inducit (3). Verum Regulares eam violantes excommunicantur (4).

(1) Clement. 1 de Sentent. excom.

(2) Cap. ult. de Consecr. Eccles.

(3) Cap. 18 de Senten. excommunic. in 6.

(4) Clem. 1 de Senten. excom.

TITULUS XX.

DE SUSPENSIONE.

1. SUSPENSIO QUID, ET QUOMODO A RELIQUIS CENSURIS DIFFERAT?—2. QUOTU-
PLEX SUSPENSIO EST?—3. SUSPENSIO GENERALIS, ET PARTIALIS, ITEM PERPETUA, AC
TEMPORARIA.—4. QUANDO, ET QUOMODO SUSPENSIO IRROGANDA?—5 ET 6. QUOMODO
SUSPENSIO TOLLATUR.—7. PŒNA CLERICI VIOLANTIS SUSPENSIONEM.

SUSPENSIONIS vocabulo intelligimus illud censuræ genus, quo clericis ob proprium delictum ecclesiasticæ potestatis, et jurisdictionis usu interdicitur. Ex quo noscitur discrimen, quod inter suspensionem, aliasque censuras intercedit. Nam hæ pertinent ad omnes fideles, illa autem tantum adversus clericos constituitur, quoniam eorum tantum est propria ecclesiastica potestas, et jurisdictio. Etiam excommunicatio aliquem privat ecclesiastica potestate, verum id facit propter communionem cum reliquis fidelibus, à qua excommunicatus repellitur; at suspensio adimit potestatem, quæ cum officio, et beneficio conjuncta est. Dostat etiam ab interdicto suspensio, quod per illud clerici prohibentur usu rerum sacrarum, sed ea ratione, quod hæ fidelibus omnibus communes sunt; at vero suspensio earum usu interdicitur, quod ab officio, aut beneficio dependet.

2. Triplex suspensio est: nimirum ab officio, à beneficio, atque ab utroque simul. Suspensio ab officio clericum exercere vetat universa ecclesiastica officia, quæ vel ab ordine, vel à

jurisdictione pendent, modo sint vera officia ecclesiastica; non enim suspensi ab iis repelluntur, quæ etiam laicis sunt communia, uti sunt ingressus in ecclesiam, publicæ preces, sacramenta. Sensus à beneficio clericum excludit à percipiendis beneficii fructibus, atque aliis, quæ ab eo pendent, non tamen ab officio repellit; quoniam angustior in odiosis significatio, et interpretatio est (1). Denique suspensio à beneficio simul, et officio facit, ut clericus beneficii fructibus carere debeat, et simul ecclesiastica munera exercere prohibeatur (2).

(1) Quæstio tamen est, num suspensio ab officio secumferat etiam suspensionem à beneficio, quod propter officium datur. Plerique id negant, quia si suspensus ab officio etiam à beneficio suspensus haberetur, frustra in jure suspensiones modo ab officio, modo à beneficio infligerentur.

(2) Suspensionis pœna antiquissima in Ecclesia est, eaque à Patribus *abstinendi*, *interdicendi*, aut *prohibendi* vocabulis significatur. Confer S. Cyprianum Ep. 4 ad Pompon., et Ep. 54 ad Presbyt. et Diacon. p. 174 et 217 ed. Amstel. 1700, S. Ambrosium Serm. 2 in psalm. 118 n. 24 opp. t. 3 p. 244 ed. Ven. 1781, Concilium Eliberitanum can. 50 t. 1 concil. col. 998 collect. Labbæi, Carthaginense IV. can. 68 ib. t. 2 col. 1444, et vide etiam Beveregium in can. 11 Apost. apud Cotelierum PP. Apost. t. 1 p. 467 ed. cit., item Concilium Ancyranum in can. 52 dist. 50. Quin etiam vetus est distinctio suspensionis à jure percipiendi redditus ecclesiasticos, et à jure ecclesiastica officia exercendi. S. Cyprianus cit. Ep. 54 ad Presbyt. p. 218 de quibusdam inferioribus clericis, qui deliquissent, inquit: Interim se à divisione mensura tantum contineant, non quasi à ministerio ecclesiastico privati esse videantur. Quibus verbis hi clerici tantum à redditibus ecclesiasticis, non item ab ecclesiastico officio excluduntur. Similiter S. Gregorius Turonensis hist. l. 8 c. 20 col. 592 ed. Par. 1699 narrat, Ursicum Cadurcensem Episcopum ab Episcopali ordine fuisse suspensum, sed ei tamen relictam Ecclesiæ rerum administrationem. Synodus autem Aurelianensis I. in can. 14 dist. 81 universam suspensionem ob graviora crimina irrogatam nominatim expressit.

(N. S. Discrimen inter Suspensionem ab Officio, et Suspensionem à Beneficio, olim ignotum fuisse, res est quam testatissima. Et sane, bonis Ecclesiæ in titulos, sive in beneficia non adhuc erectis, jus percipiendi fructus ex redditibus Ecclesiasticis, Ordinis exercitio adeo erat adnexum, ut suspensio ab Ordine, suspensionem à jure participandi ex bonis Ecclesiæ comitem nunquam non haberet.—Hinc est, quod licet frequens in Conciliis nostris de Suspensione occurrat mentio, eam tamen semper ab Officio, nunquam vero à Beneficio inflictam invenies, ut in Syn. Braç. III can. 1, Tolet. III can. 11, aliisque sexcentis.—Verum jure *Decretalium* ejusmodi discrimine inducto, suspensus à Beneficio non nisi ejusdem fructibus, ac temporali administratione privatur. Ceterum neque amittit jus eligendi, sive præsentandi, quod ipsi fortasse intuitu Beneficii conveniat, neque redditur inhabilis ad aliud consequendum Beneficium. At vero generatim à Beneficio suspensus censetur suspensus ab omni Beneficio, nisi aliunde constet aliam fuisse ferentis censuram voluntatem: *Cap. 8 de Etat. et qualit. et ordin. præf. c.*)

3. Generalis suspensio tum officium, tum beneficium complectitur, quique ea pœna affectus est, eorum, quæ ad alterutrum pertinent, quidquam agere, aut attingere prohibetur. Sed interdum aliquis tantum pro parte suspenditur, et hic quidem ea, quibus ei interdictum est, gerere nequit, non item reliqua; veluti si quis prohibitus sit confessiones excipere, is recte exercet cetera, quæ suspensionis pœna comprehensa non sunt. Sensus hæc *partialis* dicitur, cui *plena*, seu *generalis* opponitur. Est item suspensio perpetua, ac temporaria; illa clericum perpetuo, salva tamen dignitate, à sacris officiis excludit, hæc tantum ad certum tempus, ultra quod pœna non profertur. Quævis autem suspensio, sicuti excommunicatio, vel lata, vel ferendæ sententiæ est, quarum altera juris auctoritate ipso facto, altera judicis sententia irrogatur.

4. Nulla suspensio sine causa ferenda est, quamquam ea non ita gravem requirat culpam, qualem excommunicatio, atque interdictum postulant (1). Quæ causa exprimenda est in scriptis, in quibus suspensio infligitur (2); verum in suspensionibus latæ sententiæ lex ipsa judicis instar est (3). Est autem à Prælato ferenda suspensio tantum in suos subditos, atque ab uno Episcopo suspensus tamquam suspensus ab omnibus habendus est donec legitime à proprio Episcopo absolvatur.

(1) Clericos ob culpas non ita graves suspensos fuisse, constat ex Concilio Epæonensi can. 4 t. 5 conc. col. 712 collect. Labbæi.

(2) *Cap. 1 de Sentet. excom.* in 6. Id vero locum habet, quando suspensio adhibita judiciali methodo infligitur. Non enim prohibetur Episcopus ob causas sibi notas, quæ in foro externo ex actis judiciariis minime patent, suspensionem infligere, et vero clerici, qui huic Episcopi mandato non obtemperant, irregulares evadunt. Quod quidem consentaneum est Tridentini Concilii legibus in c. 1 sess. 15 de Reform. Consule Benedictum XIV. de Synod. Dioces. l. 12 c. 8 n. 3, 4, 5.

(3) Suspensionum latæ sententiæ plura in jure exempla sunt. Huc enim spectant c. 5 de Usur., c. 5 de Clandestin. despons., c. 7 §. ult. c. 25 c. 45 c. 44 de Elect., c. 14 de Vit. et honest. Cleric., Concilium Tridentinum c. 1 et 6 sess. 24 de Reform. matrim., aliaque similia.

5. Indicta ad certum tempus suspensio, eo elapso, expirat ipso jure, neque opus habet hominis sententiæ, à qua removeatur. Sed suspensio, quæ nullo definito tempore inflictæ est, relaxari debet ab eo, qui eamdem inflixit; relaxatur autem, si suspensus resipuerit.

6. Nunquam autem suspensio, quamquam nullo certo tempore obstricta sit, spem veniæ, ac restitutionis excludit, in eoque

differt à depositione, quæ perpetuam, ac sine ulla spe veniæ, exercitii, atque usus ordinum privationem inducit. Accedit, quod clerici sacris officiis, aut ecclesiasticis stipendiis suspensi, dignitatem, et beneficium non amittunt, sed tantum privantur fructibus beneficii, aliisque inde pendentibus, sui que ordinis, ac dignitatis munera exercere prohibentur. Verum depositio non solum clericum ab omni munere ordinis, ac beneficii repellit, sed eum etiam officio, et beneficio omnino privat, titulumque aufert, ita ut ad illud sine nova collatione redire nequeat.

7. Clericus suspensus, si quo interim fungatur munere, unde prohibitus est, irregularis efficitur (1). Nullam tamen irregularitatem contrahit, si quid gerat eorum, quæ ab ordine necessario non pendent, et id porro gerat non ex officio clericali, sed tamquam laicus quilibet, uti sunt quædam minorum ordinum munera, quæ in ecclesiis ex recepta consuetudine etiam à laicis exercentur (2).

(1) Cap. 1 de Sentent. et re judic. in 6.

(2) Consule Fagnanum in cap. 2 n. 15 et seq. de Cleric. excommun. ministran.

TITULUS XXI.

DE ABSOLUTIONE A CENSURIS.

1. ABSOLUTIO A CENSURIS QUID?—2. QUOTUPLEX?—3 ET 4. QUIS CENSURAS TOLLAT?—5. ABSOLUTIO AD CAUTELAM.—6. ABSOLUTIO AD REINCIDENTIAM.—7. CENSURÆ IN MORTUOS, EARUNQUE RELAXATIO.

1.

SEMEL inflictæ censura per absolutionem, aut relaxationem tollenda est; ut quis potestatem, gradum, locumque recuperet, unde dejectus fuit. Est autem absolutio à censuris, quæ in antiquis monumentis *pax*, *relaxatio*, *venia*, *communio* appellatur, relaxatio pænæ, sive vinculi, quæ præscripta ab Ecclesia forma conceditur. Danda est hæc venia, seu relaxatio non facile, et imprudenter, sed cum ejus, qui pridem deliquerat, comperta emendatio est (1).

(1) Can. 55 caus. 23 qu. 4.

2. Et quoniam duplex est Ecclesiæ forum, interius, et exte-

rius, ac censuræ in utroque irrogantur, duplex item est absolutio, altera, quæ in foro interiori, altera quæ in foro exteriori conceditur. Absolutio in foro interiori datur à Sacerdote, qui Pœnitentiæ sacramentum administrat, eaque hominem Deo reconciliat; absolutio in foro exteriori tribuitur à iudice, qui censuram inflixit, eaque post sententiam, externam pacem restituit. Utraque absolutio suis finibus continetur. Itaque qui in interno, aut externo foro solutus censura est, non item in altero foro solutus habetur.

3. Abrogat autem, tollitque censuras Iudex, qui easdem inflixit, aut ejus in munere successor, aut delegatus, aut superior (1). Quæ vero à lege sunt constitutæ, vel ab Episcopo, vel etiam à Sacerdote, qui potestatem habet administrandi sacramentum Pœnitentiæ, tolli possunt (2); unde fere generalis omnium censurarum absolutio præmitti solet. Sed Presbyter removere nequit censuras, quæ Summo Pontifici, aut Episcopo reservatæ sunt; nisi ei facultas hæc speciatim concessa fuerit.

(1) Cap. 20 de Offic. Jud. ordin. Vide etiam Concilium Nicænum can. 5 t. 1 Concil. col. 55 collect. Lahbæi.

(2) Cap. 29 de Sentent. excommun.

4. Excommunicatio minor à quovis Presbytero pro excipiendis confessionibus approbato tolli potest (1); et quivis Presbyter, etiamsi approbatus non fuerit, in articulo mortis, ut dimittendi peccata, ita relaxandi censuras habet potestatem (2). Verum qui ita absoluti sunt, sublato mortis periculo, in quo antea versabantur, sistere se Romano Pontifici, aut ejus Legato debent, mandata accepturi; secus, eandem excommunicationem contrahunt (3). Sed et in iis, quæ Summo Pontifici reservata sunt, suam interdum Episcopus potestatem exercet. Nam ipse suos subditos absolvit à casibus occultis Pontifici reservatis (4), tollitque censuras etiam Papæ reservatas, quibus obstricti sunt ii, qui Romanum iter suscipere nequeunt, quales sunt mulieres, senes, valetudinarii (5).

(1) Confer Giralduum Exposit. Jur. Pontif. par. 11. 5 tit. 39 sect. 911, p. 772.

(2) Concilium Trientinum sect. 14 de Sacram. pœnitent. c. 7.

(3) Cap. 22 de Sentent. excommun. in 6.

(4) Concilium Tridentinum sess. 24 c. 6 de Reform.

(5) Cap. 15 de Sentent. excommunic.

(N. S.) A Censura ab homine per sententiam particularem lata, ille absolvit, qui eam inflixit: Synod. Iliberit. can. 55: *Placuit cunctis, ut ab eo*

Episcopo quis recipiat communionem, a quo abstentus in crimine aliquo fuerit.—Et quidem Dominus par jus et solvendi esse voluit, et ligandi, qui utrumque pari conditione permittit: can. 51 de Pœnit. Dist. 1: vel ejus Successor: can. 5, 5, 40 caus. 11 *Quæst. III*; aut ejus Delegatus: cap. 20 de *Offic. Ordin.*: aut denique Superior, uti Metropolitæ: Syn. Tolet. XIII can. 12, cui tamen servanda sunt, quæ Innocentius III præscribit in cap. 8 *ibid.* scilicet, ut neminem, qui apud ipsum de injuste ab Episcopo lata excommunicatione conqueratur, absolvat, nisi legitime, ac plene ipsi constiterit Episcopalis censura iniquitas: alioquin, eum ad Episcopum absolvendum remittat, nisi periculum in mora esse videatur, vel Suffraganeus absolutionem satisfacere parato impendere nolit. In quo sane veteris disciplina vestigia apparent, ex cujus præscripto, qui se a proprio Episcopo inique censura innodatum crederet, in Concilio Provinciali se sistere debebat, suam querimoniam expositurus, ut ibi de Censuræ justitia, vel iniquitate judicium ferri posset.

Quod vero attinet ad Censuras latas a jure, vel ab homine per sententiam generalem, iis exceptis, quas sibi earundem auctor reservavit, ab ipsis poterit quis absolvi vel ab Episcopo, vel a proprio Sacerdote: cap. 29 de *Sent. Excomm.* Nomine *proprii Sacerdotis*, venire Parochum, vel etiam quemcumque Sacerdotem ad excipiendas confessiones legitime adprobatum, quippe qui in hoc adimplendo munere Parochi vices subeat, docet Suarezius de *Censuris Disput. VII, Sect. 4 num. 9*, aliique.)

5. Præter absolutionem à censuris, quæ post emendationem, aut finitam causam iis conceditur, qui crimen admisierunt, est etiam absolutio *ad cautelam*, quæ datur ad majorem cautionem, ut omnis, quæ forte esse potest, dubitationis causa removeatur. Ea porro adhibetur in omnibus rescriptis, bullisque Apostolicis, ne quid impedimento sit, quominus concessa gratia vim, et exitum habeat, itemque à Sacerdotibus, qui sacramentum Pœnitentiæ administrant, sacramentali absolutioni præmittitur, ne propter censuram à jure illatam, et ignotam, inutilis absolutio sit. Denique locus est generatim absolutioni ad cautelam, cum incertum est, num quis censuram contraxerit, aut cum de vi illatæ censuræ dubitatur (1).

(1) Cap. 40 de *Sentent. excommunic.*

6. Est et absolutio *ad reincidentiam*, quæ datur ad certum tempus, aut ad certum actum, ita ut tempore elapso, aut actu peracto, illa absolutus iterum censura implicetur. Quæ absolutio dari solet cum certa lege, videlicet ut lædens intra definitum tempus læso satisfaciatur, aut certa pietatis opera suscipiat, cui legi satisfaciendum est constituto tempore, quo elapso censura reviviscit, et qui legi non satisfecit, cum nulla justa causa impediretur, rursus in censuram incidit.

7. Nec tantum vivis excommunicatis, sed etiam post eorum obitum sæpe ab Ecclesia censuras relaxatas fuisse constat. Nimirum si quis moriens ante impetratam pacem, certa dedisset pœnitentiæ, aut emendationis argumenta, vel eo mortuo appareret, injustas esse censuras in eum latas, ab Ecclesia censuræ ipsæ removebantur, ut omnibus constaret, eum in Catholica communionem decessisse. Dabatur olim hæc absolutio facto ipso, quia defuncti nomen vel sacris dyptichis restituebatur, vel ejus nomine factæ oblationes ab Ecclesia accipiebantur, atque ita ipse catholicæ communioni restitutus habebatur (1). Sed nunc ii, qui morientes censuris solvi non potuerunt, atque ab Ecclesia eo beneficio digni judicantur, certa præcum, ac verborum formula absolvuntur (2).

(1) Ita Theodoretus *Histor. l. 5 c. 35 p. 235* ed. Cantabrig. narrat, Alexandrum Antiochenum sacris dyptichis restituisse S. Joannis Chrysostomi nomen, quod in illis plures annos omissum fuerat. Sunt et alia absolutionis à censuris post obitum concessæ exempla apud Mabilonium *Annal. Benedict. l. 58 n. 35* et *l. 61 n. 42* et *43 t. 4 p. 409, 545, 544* ed. Lucae 1759, locisque aliis. Neque tantum absolutionis mortuis concessæ, sed etiam excommunicationis in mortuos latæ, in ecclesiasticis historiis exempla sunt. Ita Cyrianus Ep. 1 ad Cler. *Furnitan. p. 169* ed. Amsteled. 1700, oblationem fieri, precesque in Ecclesia fundi vetuit pro Geminio Victore, quod contra ecclesiasticam regulam, Presbyterum tutorem suo testamento constituerat. Pene simile decretum extat in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ can. 81 apud Harduinum *collect. concil. t. 1 col. 907*, ubi de Episcopo, qui ethnicos, aut hæreticos heredes scripserat, habentur hæc: *post mortem anathema ei dicatur, atque ejus nomen inter Dei sacerdotes nullo modo recitetur.* Hinc Augustinus Ep. 185 ad Bonifac. n. 4 opp. t. 2 col. 644 ed. Ven 1729, de Cæciliano, quem Donatistæ accusabant, dicit hæc: « Si vera essent, quæ ab eis Cæciliano objecta sunt..... ipsum jam mortuum anathematizaremus. » Alia etiam consequenti ætate occurrunt exempla ejusdem ecclesiasticæ discipline.

(2) Cap. 28 de *Sentent. excommun.*

APPENDIX.

EXCERPTA EX COD. PŒN. NOVIS. HISP., DE IIS QUÆ PERSONAS AC RES ECCLESIASTICAS SPECTANT.

LIB. I TIT. I CAP. 4.

Art. 10. Son circunstancias agravantes:

Art. 19. Cometer el delito en lugar sagrado, inmune, ó donde la Autoridad pública se halle ejerciendo sus funciones.

TIT. 5, CAP. 1.

Art. 25. La ley no reconoce pena alguna infamante.